



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. I. An Theologia sit verè & propriè scientia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)




DISPUTATIO PROEMIALIS. DE NATURA, ET QUALITATIBVS Theologiae.

Ad quaestionem 1. D. Thoma.



Um Theologia sit scientia Ar-
chitectonica, omniumque su-
prema, & habeat non solum
rationem scientiae, sed etiam
sapientiae, vt infra dicemus :
ad illam pertinet, non solum
suum obiectum, sed etiam se-
ipsam, suamque essentiam, & proprietates con-
templari. Vnde priusquam de Deo, eiusque exis-
tentiâ, vnitatem, naturâ, & attributis dispute-
mus, quaedam circa naturam, & qualitates Theo-
logiae, breuiter hic praemittenda sunt. Eorum
enim morem, & consuetudinem, nequaquam
imitandam putamus, qui parum attendentes,
quam latè pateat diuinæ sapientiae domus, quam
perlustrandam suscipimus, tandiu in eius atrio
& vestibulo immorantur, vt praeludiis, & præ-
logomenis, vix finem faciant. His ergo præter-
missis, fit



ARTICVLVS I.

An Theologia sit verè & propriè scientia?

§. I.

Præmittenda ad resolutionem quaestionis.

Notandum primò: Theologiam, iuxta vo-
cis ethymologiam, idem esse, ac ratio-
nem, seu considerationem, vel sermonem de
Deo, & rebus diuinis: vt notat D. Augustinus
lib. 8. de Ciuit. cap. 1. Unde cum de Deo, rebus-
que diuinis, dupliciter sermo vel consideratio
esse possit; nimirum vel ex discursu rationis natu-
ralis, vel ex lumine diuinæ reuelationis, du-
plex etiam distingui solet Theologia. Una natu-
ralis, quæ *Metaphysica* appellatur; & alia su-
pernaturalis, & Christiana, quæ ex principiis
reuelatis, suas deducit conclusiones, & quam D.
Thomas hic, *Sacram doctrinam*, appellat; & de
hac solum nobis in præfenti est sermo.

Notandum secundò: Theologiam propriè di-
Tom. I.

A
ctam, de qua hic agimus, diuidi primò in Theo-
logiam increatam, quæ est in Deo; & creatam,
quæ in creaturis rationalibus, Angelis scilicet &
hominibus, reperitur. Secundo Theologiam
creatam, subdividi in Theologiam eorum qui
sunt in viâ, quæ ex principiis fidei suas infert
conclusiones; & eorum qui sunt in patriâ, quæ
ex principiis clarè cognitis, & per Dei visionem
manifestatis, easdem veritates & conclusiones
deducit. Tertiò Theologia viatorum diuiditur in
acquisitam, quæ studio ac diligentia humanâ
comparatur, & infusam, quæ à Deo immediatè
infunditur: qualis fuit in Prophetis, & Aposto-
lis, aliisque Sanctis *Operis diuini*, id est à Deo im-
mediatè edoctis. Denique vtraque Theologia
iterum diuiditur in Positiuam, quæ fusiori stilo,
& modo oratorio sacras litteras, & mysteria fi-
dei exponit; & Scholasticam, quæ artificiosâ
methodo, & syllogisticè rerum diuinarum noti-
tiam tradit. Et hæc rursus subdividi potest in spe-
culatiuam, quæ tota sistit in contemplatione ve-
ritatis, & mysteriorum fidei; & moralem, quæ
versatur in directione actuum humanorum, siue
in resoluendis casibus conscientie. Quibus ad-
dunt alij Theologiam mysticam, quæ est noti-
tia diuinorum, in oratione & contemplatione,
modo supernaturali comparata: qualis fuit in
sanctâ Catharinâ Senensî, Birgittâ, Theresiâ, &
aliis Sanctis, ac præcipuè, & excellentissimè, in
Angelico nostro Præceptore, qui in omni
Theologiae genere excelluit, vt disertè de-
clarant R. P. Carmelita Discalceati, in egregia
illa oratione exhortatoria, quam primo tomo sui
cursus Theologici præfixerunt, vbi dicunt: *An-
gelicum Magistrum inter omnes alios Ecclesie Do-
ctores, omnimodâ Theologiâ, nimirum scholasticâ
moralî, positiuâ, mysticâ, & concionatoriâ, fuisse
variegatum, & quasi Josephum inter duodecim
fratres penultimum, polymicâ & multicolori tu-
nicâ, à parente Iacob, præ nimio eius amore, de-
coratum præfulgere.*

Notandum tertiò ex Aristotele 6. Ethic. cap.
4. & D. Thoma 1. 2. quæst. 57. quinque tan-

A

tum esse virtutes intellectuales : scilicet habitum primorum principiorum, qui dicitur intellectus, & versatur circa prima principia, immediate nota : sapientiam, quæ est notitia rerum diuinarum per altissimas causas ; scientiam, quæ est notitia per demonstrationem acquisita : prudentiam, quæ definitur habitus cum vera ratione actius, seu dirigens honestatem morum ; & artem, quæ est habitus cum vera ratione effectius, seu præscribens modum rei alicuius efficiendæ.

Notandum quartò : quod sicut aliquis potest esse verè & substantialiter homo, quamuis non sit perfectus homo ; vt constat in puero, qui verè & propriè participat naturam humanam, quamuis non sit homo perfectus ; eò quod non habeat vsum rationis, nec exercitium libertatis. Ita similiter aliquis habitus moralis, aut intellectualis, potest esse verè & substantialiter virtus, aut scientia : quamuis non sit perfecta virtus, aut perfecta scientia ; quia ratione subiecti in quo est, non habet suum statum perfectum & connaturalem. His præsuppositis, sit

§. II.

Conclusio affirmatiua statuitur.

2. **D**ico igitur : Theologiam, etiam prout est in nobis viatoribus, esse verè, propriè, & substantialiter scientiam ; licet defectu euidentiæ actualis, quæ caret in hoc statu, non sit perfecta scientia, sed in statu imperfecto & præternaturali. Ita communiter docent Thomistæ, cum S. Doctore hic art. 2. & in 1. sent. dist. 1. quæst. 1. art. 4. & opusc. 70. quæst. 2. art. 2. contra Valentiam, Vazquem, aliosque modernos, contententes illam non esse verè, & substantialiter scientiam, sed habitum quemdam innominatum, medium inter scientiam & fidem.

Probatur primò conclusio : Theologia, etiam prout est in nobis viatoribus, verè & propriè est virtus intellectualis : sed non potest pertinere ad aliam, ex quinque ab Aristotele, & D. Thoma assignatis in tertio notabili, quam ad scientiam, vel sapientiam : Ergo Theologia est verè & propriè scientia, vel sapientia, quæ, vt infra dicemus, est perfectissima species scientiæ. Minor constat : cum enim Theologia sit discursiua, non potest pertinere ad habitum primorum principiorum, qui attingit veritates immediate & sine discursu. Non potest etiam esse prudentia, vel ars ; cum non pertineat ad intellectum practicum, sed speculatiuum, neque versetur circa agibilia & factibilia ; cum experiètiâ satis conter, omnem Theologum non esse virum prudentem, aut peritum artificem : ergo solùm potest pertinere ad scientiam vel sapientiam. Maior autem probatur dupliciter. Primò quia Theologia est habitus intellectus, infallibiliter inclinans ad verum : ergo & virtus intellectualis. Consequentia patet : nam per hoc distinguit Aristoteles 6. Ethic. cap. 3. virtutes intellectuales, ab opinione, & suspitione : quod hæ non attingunt infallibiliter verum, & quia fieri potest (inquit) vt falsum existimatione, opinioneque quia dicat ; virtus autem intellectualis semper & infallibiliter verum attingit. Secundò, quia cum Theologia sit habitus perficiens hominem ad benè operandum, inclinando scilicet infallibiliter ad verum, est virtus humana : sed non moralis, cum non sit perfectiua appetitiuæ partis ; nec Theologica, cum non sit per se infusa, sed nostris

A actibus acquisita, vt infra dicemus ; & cum tres tantum dentur virtutes Theologicæ, fides scilicet, spes, & charitas : ergo est virtus intellectualis.

301
Secundò probatur conclusio, destruyendo præcipuum fundamentum Aduersariorum, consistens in eo quod Theologia caret euidentiâ suorum principiorum, quam illi putant requiri ad veram & propriam rationem scientiæ. Licet enim scientia subalternans habere debeat euidentiã actualem suorum principiorum, ad rationem tamen scientiæ subalternatæ (qualis est Theologia, vt dicemus articulo sequenti) sufficit euidentiã radicalis, vel aptitudinalis : id est sufficit, quod ex se & ex naturâ suâ possit coniungi cum subalternante, & in tali conjunctione habere euidentiã actualem suorum principiorum. Ita colligitur ex D. Thoma hic art. 2. in corp. vbi sic habet. *Sciendum est quod duplex est scientiarum genus : quædam enim sunt que procedunt ex principijs notis lumine naturali intellectus, vt Arithmetica, Geometria, & huiusmodi : quædam verò sunt que procedunt ex principijs notis lumine superioris scientiæ, sicut per se spectiua procedit ex principijs notificatis per Geometriam, & Musica ex principijs per Arithmetica notis ; & hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principijs notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei & Beatorum.* Quibus verbis apertè docet, quod licet in scientiis subalternantibus, requiratur euidentiã formalis, & actualis principiorum ; in subalternatis tamen, sufficit radicalis, vel aptitudinalis. Ex quo inferit, Theologiam esse verè scientiam, licet prout est in nobis viatoribus, careat per accidens, & ratione subiecti, euidentiâ actuali principiorum : quia per se & ex naturâ suâ, petit coniungi cum scientia Dei & beatorum, cui subalternatur, & in tali conjunctione habere euidentiã actualem suorum principiorum : quamuis illa, prout est in nobis, propter defectum euidentiæ actualis, non habeat modum, nec statum perfectæ scientiæ. Sicut puer, licet sit substantialiter homo, quia tamen caret vfu rationis, & exercitio libertatis, non censetur esse perfectus homo. Ex quo facile intelliges celebre testimonium D. Thomæ, quæst. 14. de verit. art. 9. vbi dicit. *Quæcumque sciuntur propriè acceptâ scientiâ, cognoscuntur per resolutionem ad prima principia, que per se præsto sunt intellectui, & sic omnis scientia, in visione rei presentis perficitur.* His enim verbis significat, quod ea que sciuntur propriè dictâ scientiâ (id est scientiâ quæ est in statu perfectò & connaturali) cognoscuntur per resolutionem ad prima principia, que præsto sunt intellectui (id est que sunt euidenter cognita) & sic quod omnis scientia in visione rei presentis perficitur. Quæ vltima verba apertè declarant, illum non loqui de scientiâ, quantum ad essentiam, vel substantiam ; sed solùm, quantum ad perfectionem & statum.

§. III.

Soluuntur obiectiones.

4.
Objicies primò : D. Thomas in 3. dist. 33. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 4. sic ait : *Si esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset eiusdem speciei cum aliis scientiis, neque vniuerse scientia diceretur.* Ergo cum Theologia non resoluat suas conclusiones in principia naturaliter

cognita, non est verè & propriè scientia, nec ejuſdem rationis cum aliis ſcientiis.

Reſpondeo quod ibi D. Thomas probat virtutes infulas & acquiſitas diſſerre ſpecie: ad quod declarandum, adducit exemplum in ſcientiis, & dicit quod ſi daretur aliqua ſcientia, quæ non procederet ex principiis notis lumine naturali, ſed lumine ſupernaturali fidei, & diuinæ reuelationis, non conueniret vniuoè, nec eſſet ejuſdem rationis cum ſcientiis purè naturalibus, vt pote procedens ex altioribus principiis. Quare ex hoc teſtimonio ſolùm poteſt inferri, quod cum Theologia procedat ex principiis altioris ordinis, ſcilicet ex articulis fidei à Deo reuelatis, eſt diuerſæ rationis à ſcientiis naturalibus, neque conuenit vniuoè cum illis, ſaltem in genere proximo: non quòd illa deſiciat à perfectà ratione ſcientiæ; ſed potiùs quia illam habet cum quadam eminentia & perfectione, quæ non conuenit ſcientiis ordinis naturalis, ratione cuius eſſe minenter ſpeculatiua & practica, nec ſolùm habet rationem ſcientiæ, ſed etiam ſapientiæ, vt infra dicemus.

Obijciens ſecundò: de Deo non poteſt fieri demonſtratio, niſi per effectus: ergo nec dari ſcientia, ſaltem à priori, & propriè dicta; & conſequenter Theologia quæ Deum habet pro obiecto, non poteſt eſſe verè & propriè ſcientia. Conſequentia patet: Antecedens verò probatur ex D. Thoma 1. contra gentes cap. 25. ſic dicente: *Ex his etiam patet quod Deus deſiniri non poteſt: quia omnis deſinitio eſt ex genere & differentia. Patet etiam quod non poteſt etiam demonſtratio de ipſo fieri niſi per effectus; quia principium demonſtrationis eſt deſinitio eiſdem de quo fit demonſtratio.*

Reſpondeo negando antecedens: ad cuius probationem, in primis dico, Diuum Thomam ibi ſolùm negaſſe, poſſe dari de Deo demonſtrationem à priori, per veram & realem cauſam, non autem demonſtrationem quæ per cauſam virtualem procedat, quæ ſufficit ad perfectam rationem ſcientiæ.

Secundò reſpondeo, D. Thomam ibi ſolùm negare demonſtrationem perfectam de Deo, & quæ ad perfectam ſubjecti definitionem reducat; non autem negare omnem demonſtrationis modum, ſufficientem ad rationem ſcientiæ à priori. Ut enim ipſe docet hic art. 7. ad 1. *Licet de Deo non poſſimus ſcire quid eſt, vt imur eius effectū, vel naturæ, vel gratiæ, loco definitionis ad ea quæ de Deo conſiderantur.* Ex quibus verbis non licet inferre, ſcientiam quam de Deo habemus, eſſe tantùm à poſteriori, & per effectus: nam ſemel naturâ Dei cognitâ per effectus creatos, vel per lumen diuinæ reuelationis, illâ mediante, à priori deſcriptiue cognoscuntur Dei proprietates, quæ à naturâ Dei, tanquam à ratione à priori & cauſâ virtuali dimanant.

Obijciens terriò: ſcientia propriè dicta, eſt habitus certus & euidentis: ſed Theologia non eſt euidentis, cum procedat ex principiis obſcurè reuelatis, & fide diuinæ creditis: ergo non eſt propriè ſcientia.

Reſpondent aliqui: de ratione ſcientiæ in communi, & prout abſtrahit à naturali vel ſupernaturali, ſolùm eſſe attingere infallibiliter verum, per diſcurſum formalem aut virtualem: euidentiam verò requiri ſolùm in ſcientiis naturalibus, propter certitudinem, & adhaſionem intellectus ad verum: vnde cum Theologia fit

Tom. I.

A ordinis ſupernaturalis (radicaliter ſaltem & obiectiue, vt infra dicemus) & habeat certitudinem ſine euidentia, ſine illa eſt verè & propriè ſcientia.

Verùm hac reſponſio non cohæret cum Doctrina D. Thomæ, qui 1. 2. quaſt. 67. art. 3. ait, *De ratione ſcientiæ eſt, quod habeat firmam inheſionem, cum viſione intellectiua.* Et in 3. diſt. 25. quaſt. 2. art. 4. quaſtiunc. 1. docet quòd fides non eſt virtus intellectualis, eò quod non habeat conſpicuam veritatem. Ex quo apertè colligitur, quod ſi etiam Theologia, per ſe & eſſentialiter eſſet ineuidens, non eſſet virtus intellectus, nec proinde ſcientia.

Meliùs ergo reſponderetur, euidentiam eodem pacto eſſe de ratione ſcientiæ, quo eſſe difficile mobilem, eſt de ratione habitus. Vnde ſicut habitui, qui per ſe, & ex ſua natura, eſt difficile mobilis, per accidens, & ex conditione ſubjecti, poteſt conuenire eſſe facile mobilem: ita ſcientiæ, quæ per ſe & ex natura ſua eſt euidentis, per accidens & ex conditione ſubjecti, conuenire poteſt obſcuritas & ineuidencia. Et ita contingit in Theologia, illa enim per ſe, & ex natura ſua eſt euidentis, lumenque gloriæ, quo Deus clarè videtur, poſtulat pro habitu principiorum: per accidens verò, & ex conditione ſubjecti, ei conuenit eſſe ineuidentem, & habere pro habitu principiorum lumen fidei obſcurum. Quare cum dicitur, quòd ſcientia eſt habitus euidentis, hoc debet intelligi, per ſe & ex natura ſua; vel de euidentia formali, aut radicali, vt antea expoſuimus.

Obijciens quartò: de ſingularibus & contingentibus non poteſt dari ſcientia, vt docent Philoſophi: ſed Theologia verſatur circa ſingularia, agit enim de Chriſto, de Beata Virgine, de Adamo, de Antichriſto, &c. Et circa contingencia, nam diſputat de actibus humanis, de peccatis, de merito, & iuſtificatione, quæ ſunt actiones liberæ & contingentes: ergo non eſt ſcientia.

Reſpondeo quod quamuis de ſingularibus & contingentibus, non poſſit dari ſcientia naturalis, benè tamen ſcientia reuelata: id eſt, procedens ex fide, & diuinæ reuelatione, qualis eſt Theologia. Ratio diſparitatis eſt, quia ſcientia purè naturalis, dependet ex lumine naturali primorum principiorum, quæ verſantur tantùm circa vniuerſalia, & neceſſaria; ſcientia verò ſupernaturalis & reuelata, dependet à lumine ſupernaturali fidei, & diuinæ reuelationis, ſe extendentis etiam ad ſingularia & contingencia, quæ prout ſubſunt tali lumini, neceſſaria ſunt, neceſſitate ſaltem infallibilitatis, vt docet D. Thomas 2. 2. qu. 1. art. 3. his verbis: *Deum incarnari, ſecundùm ſe conſideratum, fuit poſſibile, etiam poſt tempus Abrahæ: ſed ſecundùm quod cadit ſub præſcientia diuina, habet quandam neceſſitatem infallibilitatis; & hoc modo cadit ſub fide, vnde prout cadit ſub fide, non poteſt eſſe falſum.*

Obijciens quintò: ſcientia ſubalternata naturalis, in abſentia ſubalternantis, non eſt verè ſcientia, ſed opinio, vel fides humana: ergo ſimiliter Theologia, vt eſt in nobis viatoribus, in quibus eſt ſeparata à ſcientia beata, cui ſubalternatur (vt dicemus art. ſequenti) non erit verè & propriè ſcientia, ſed fides, vel opinio, aut potiùs aliquid medium inter ſcientiam & fidem.

Reſpondeo primò, negando antecedens: multi enim ex Schola D. Thomæ, non improbabili- ter exiſtimant, ſcientias ſubalternatas ordinis

A ij